

sis alio respectu prosopopœia subjici possit. Relinquitur ergò
 sufficiens partium siue specierum enumeratione, Tropos pro-
 priè sic dictos esse tantum quatuor, neque plures, id quod cum
 Claudio Minoë lib. 1. Rhet. sic demonstro: Omnis mutatio
 propriæ significationis ex causis ad effecta; ex subjectis
 ad adjuncta: ex dissentaneis ad dissentanea; ex compa-
 ratis ad comparata: ex toto ad partes, vel contrà: est
 Metonymia, Ironia, Metaphora, Synecdoche. Sed o-
 mnis tropus est ejusmodi propriæ significationis mu-
 tatio. Omnis E. tropus in Metonymia, Ironia, Meta-
 phora & Synecdoche. Et per consequens neque plures neque
 pauciores erunt. Item: Omnis simplicis verbi significatio
 mutari tantum potest argumentis simplicibus & pri-
 mis. Sed argumenta hæc simplicia sunt causæ, effecta,
 subjecta, adjuncta, dissentanea, comparata. E. ad tro-
 pum faciendum ea fati sunt.

*De ordine troporum obiter nota posse eundem variè insti-
 tuti. Ordo logicus & maximè naturalis est, ut 1. loco ponatur
 Metonymia, quia desumpta est ex argumentis consentaneis.
 2. Ironia, quia desumitur ex argumentis dissentaneis contra-
 riis. 3. Metaphora, quia desumitur ex comparatis. 4. Synec-
 doche, quia desumitur ex argumentis ortis, distributione sci-
 licet. Si verò usum consideres. 1. locum sibi iure vendicat. Meta-
 phora, quæ omnium usitatissima & communissima. 2. Meto-
 nymia. 3. Synecdoche. 4. Ironia. Sin dignitatem & excellen-
 tiam. 1. erit Metaphora. 2. Ironia. 3. Metonymia. 4. Sy-
 necdoche.)*

2.

METONYMIA

est tropus causæ ad effectum, subjecti ad
 adjunctum, & contrà.

(Definitum est Metonymia, sic dicta à μετὴν trans &
 ὄνομα nomen quasi traductionem vel translationem
 & immutationem & uno verbo Transnominationem
 vel denominationem dicas. Rhetores Hyppallagen vo-
 citant, quia verba pro verbis quasi summutantur. Gram-
 maticis)